Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1253
Quelle:
Copyright:

tinet Ejusdem *Summae Partem* III. et quidem duplici Exemplo. Primum potius Excerptis constat, et orditur a *Quaest. 2da*. *Deinde considerandum est de modo vnionis* &c. finitque multis omissis in *Quaest.* 90. *Art.* 4. Alterum vetustiore manu incipit *fol.* 62. ut apud *Nicolai cit. Quia saluator noster dominus ihesus christus teste angelo* &c. et definit in *Quaest. ult.* sive 90. ita tamen, ut *Articuli* 1. 3. et 4. minio notentur deesse, et addatur: *Finitur tercia pars Fratris thome.*

A *fol.* 423. praeter Elenchum *Quaestionum* in *Partem* mox dictam habentur Adversaria theologica levis momenti, et Index Sanctorum, sub quorum invocatione in Templo, cujus nomen tacetur, Altaria dedicata sunt.

DLVII.

U. 294 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 302. f. per duas columnas commode scriptus, rubricis distinctus, et olim a *Thoma de Haselpach* saepe memorato legatus *Collegio rubee rose*, cujus *pater et superintendens* fuerat, aliud Exemplum est *Partis* III. praedictae *Summae*, et quidem praecedente plenius; finit enim, ut apud *Nicolai cit. Ideo ante baptismum non distinguitur penitentia mortalium et venialium.* Dein: *Incipiunt capitula* (sive Index) *tercie partis summe fratris thome de Aquino ordinis fratrum predicatorum.*

DLVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 297 Folior. 364. f. per duas columnas luculente exaratus, sed non nisi sub principium et finem rubricatus: istud in fronte praefert ἐγκομιον: *Hunc librum cum quibusdam alijs insignibus voluminibus numero 11. liberali ac magnifica donatione inter viuos donavit ad librariam Collegij ducalis Wienne Venerabilis et eximius pater M. Andreas de Weytra sacre theologie professor egregius nec non canonicus ecclesie sancti stephani Wienne* &c. quae in amplam gratiarum actionem excurrunt. Rector Academiae Vir hic praefuit annis 1432. et 39. Liber ipse *Partis* III. supra dictae Exemplum aliud est, integrum, et Indice suo stipatum, ad cujus calcem: *Expliciunt Tituli tercie partis Summe Ordinis predicatorum fratris Thome de Aquino. laus et gloria sit ihesu christo domino.*

DLIX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 295 Folior. 383. f. per duas columnas luculente exaratus et rubricis distinctus denuo est *Pars III. Summae* memoratae, integra, cum adjecta *Tabula*, ad cujus calcem: *Expliciunt tytuli tercie partis summe sancti Thome.* En *Sancti* ἐπιθετον, quo praecedentes Librarii abstinuere.